



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

§. 1. De Corporis inclinationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)



pletorij extinguantur, nisi fortè alicubi consuetudo id faciendi invaluerit, tunc enim retineri poterit.

## TITULUS V.

COMPENDIUM RITUUM IN TOT  
OFFICIO OBSERVANDARVM  
COMPLECTENS.

Cùm in prima Instruktionẽ de SS. Missæ Sacrificio ritè offerendo post explicatas singulas Missæ partes brevẽ Compendium, quo omnes Cæremoniæ in Missa observandæ in certas Classes dividebantur, subjunctum fuerit ad memoriam Tironum juvandam; placet etiam in hac Instruktionẽ idem subsidium offerre, & singulos Ritus, qui in Officij divini persolutione, tum ex præscripto Rubricarum, tum ex Cæremonialis Episcoporum directione observandæ sunt, brevẽ Compendio complecti; in quo tamen de publica Officij divini recitatione potissimùm sermo erit; nam in privata recitatione, etsi valde deceat, ut, quantum fieri potest, pariter ejusmodi Ritus observentur, nemo tamen ad illas ullâ lege adstringitur. Ad sex autem ferè classes, omnes hi Ritus, seu Cæremoniæ revocari possunt, videlicet ad Corporis inclinationem, Stationem, Sessionem, Manuum Cæremonias, Osculum Altaris, & Incensationem Altaris, de quibus nunc singulis breviter agendum.

## §. I.

*De Corporis Inclinationibus.*

Quatuor ferè diversæ Corporis inclinationes in Vesperis præscribuntur, nempe utriusque genu inflexio, unius tantum genuflexio; profunda Corporis inclinatio, solius Capitis inclinatio.

*Genuflexio utroque genu facienda est.*

I. In accessu ad Altare, si SS. Sacramentum publicè expositum proftet.

II. Ad Verba: *Adoremus, & procidamus*: in Psalmo *Venite* post Invitatorium, juxta Cærem. Episc. l. 2. c. 6.

III. Ad *Te ergo quasumus* in Hymno Ambrosiano. *Ibid.*

IV. Ad



IV. Ad Preces Feriales in Laudibus & reliquis Horis; item in Officio Defunctorum, si Preces ibi præscriptæ dicuntur. Rubr. Breviar.

V. Ad primam Stropham Hymnorum *Veni Creator, & Ave maris Stella.* Cærem. Ep. l. 2. c. 1.

VI. Ad *Tantum ergo Sacramentum*: si SS. Sacramentum super Altari expositum est. Ibid. l. 1. c. 28.

VII. Ad Antiphonas B. Virginis, quando dicuntur extra Vesperas primas aut secundas, aut alias Horas Dominicæ, & extra tempus Paschale. juxta Rubric. Brev. tit. 36. n. 3.

VIII. Ad *Pater noster, Ave, Credo*, in fine Completorii.

IX. In Psalmis Gradualibus, & Pœnitentialibus ad Preces. Gav. f. 10. c. 1. n. 7.

X. Ad Litanias & Orationes earundem; excepto Hebdomadario seu Officiatore, qui stans Orationes dicere debet, Ibid.

*Genuflexio uno genu facienda est.*

I. In accessu & recessu sub Altari, ubi Sacramentum clausum est.

II. Ad incensationem Altaris SS. Sacramentum clausum continentis, quando accedit, vel recedit; & ante, quàm Incensationem incipiat.

III. Quando ad simile Altare pro Oratione ad Antiphonam B. Virginis canendam accedit.

*Profunda Corporis inclinatio facienda est.*

I. Quando in Sacristia à loco Paramentorum recedit, iterùmque accedit.

II. Quando ad Altare, ubi non est Sanctissimum Sacramentum clausum, fit accessus vel recessus.

III. Quando Incensatio peragitur, ante incensationem Reliquiarum; &, si non adest SS. Sacramentum, etiam ad initium incensationis, & quodocunque ad Altare accedit, vel ab eo recedit.

IV. Quando Ministri coram Officiatore transeunt, vel ille coram ipsis. Cærem. Episc. l. 2. c. 3.

V. Quando in Matutino vel Completorio Benedictio petitur per *Iube Domne benedicere.*

VI. Ad *Confiteor* in Prima & Completorio.



*Capitis inclinatio facienda est.*

- I. Ad *Gloria Patri* per omnes Horas, ubi caput profundè inclinandum esse monet Cæremoniale Episcoporum. l. 2. c. 1.
- II. Ad SS. Nomina JESU, & MARIÆ, & Sanctorum de quibus fit Officium, vel *specialis* commemoratio.
- III. Ad Stropham ultimam Hymnorum, in quibus Serosanctæ Trinitatis fit mentio.

## §. II.

*De Statione.*

- I. **H**Æc præscribitur ad Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum extra preces Feriales, aut Officij Defunctorum, aut super Officij.
- II. Ad Horarum initia, & Hymnos.
- III. Ad Hymnum Ambrosianum.
- IV. Ad Versiculos Nocturnorum, & post Hymnos.
- V. Ad textum Evangelij ante Homiliam.
- VI. Ad Capitula omnium Horarum.
- VII. Ad Lectiones breves Primæ & Completorij.
- VIII. Ad Cantica *Benedictus*, *Magnificat*, & *Nunc dimittis*.
- IX. Ad Antiphonas B. Virginis in Dominicali Officio, & tempore Paschali cantari solitas.
- X. Ad Lectiones in Officio parvo B. Virginis in Adventu; hæ enim, cum sint de Evangelio, laudabilius ad eas stant ait Gavantus f. 10. c. 1. n. 3.
- XI. Ad Psalmos etiam stant aliqui, uti Clerici Regulares, & Barnabitæ, teste Gavanto f. 1. c. 8. n. 18. ubi addit idem à Baronio ex S. Petro Damiani An. 1062. probari; sed consuetudo sedendi ferè hodie prævaluit.

## §. III.

*De Sessone.*

- I. **H**Æc peragitur ad Psalmos omnium Horarum, saltem ex consuetudine; imò & convenienter Cæremoniale Episcoporum. l. 2. c. 5.
- II. Ad Lectiones Matutini juxta idem Cæremoniale. l. 2. c. 6.
- III. Ad